Excursiones intra territorium historiæ populorum Slavicorum,

quarum Partem Primam,

continentem conspectum præcipuorum quorundam scriptorum historiæ Poloniæ magnique Ducatus Lithuaniæ usque ad medium sæculi duodevigisimi brevemque adumbrationem status scientiæ historicæ in eodem regno ab hoc tempore usque ad nostram ætatem,

Venia Ampliss. Facult. Philos. Lund.

p. p.

EDUARDUS GUIL. BERLING

et

OLAUS HÖRMAN,
Scani.

In auditorio historico die XXII Maji MDCCCXXXIII.

LONDINI GOTHORUM,
TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXXXIII.

— — Polen ist nicht zerstört und zu Grunde gerichtet, es ist nur unterjocht; und gewiss hat die Vorsehung diesem allzulange unglücklichen Lande bessere Tage aufbewahrt.

Polen, von Karl Andrée, p. 2.

Prolegomena.

Non ita pridem orbi miraculo erat bellum illud Polonorum adversus Moscovitas, cui simile nullum fuit ab eo inde tempore, quo catervæ regis Persarum tyrannidem Asiaticam in Græcia amoena constituere conatæ sunt. Totum temporis spatium post pulverem pyrium detectum et post modum bellorum gerendorum hac detectione mutatum, qui minus sæpe occasionem cuique privato præbet vi corporis ac fortitudine eminendi, tanta omnino facinora bellica splendida non exhibuit, quanta hi proximi quinquaginta anni, ita sane illustria et pæne divina, ut qui de facinoribus claris antiquorum dubitet, quæ interdum fabulam sapiant, ille sibi persuadeat talia fieri posse videns ante oculos his clariora. Sed omnium horum bellorum proximis semicentum annis, nullum est magis mirandum quam hoc novissimum in Polonia gestum certamen pro libertate contra Russicum prævalidum imperium vindicanda, nec ullum, quod homines omnes cultiores humanioresque magis moverit; quippe quod esset certamen inter culturam et barbariem, inter libertatem tyrannidemque, inter justitiam et vim.

Barbaries, tyrannis, vis vicerunt. Polonia, quam Europa admirata est, sed deseruit, sibi ipsa relicta fortiter pugnabat iniquam pugnam, e qua felicior discessisset, nisi discordia primorum, semper perniciem huic infelici regno allatura, et proditores, immemores suæ famæ patriæque, barbaros sublevassent in aquila alba, jam uno pede libera, catenis denuo vincienda.

Cur autem liberi Europæ populi Poloniæ defuerunt momento temporis, rarissime incidente, cum facile superbiam hujus ipsius libertatis, qua fruuntur, inimici gravissimi deprimere potuissent? In arte politica nondum versatus sum, tamen credere vellem tyrannidis genium tutelarem eos cæcitate mentis perculisse; non enim iis difficile fuisset intellectu se, amicos in angustiis deserentes, saltem ignominiæ maculam sibi inusturos,

quæ præsertim gloriæ suæ tam anxios, quam sunt e. g. Galli, acriter mordeat necesse est. In vita quotidiana aniles appellantur, qui cum infirmo a validioribus lacerato succurrere possent, non succurrunt, sed adtoniti adstant; magis autem aniles nobis apparent, qui amicum, a partibus eorum stantem, oppressum destituunt. Sæpe in populos transfertur, quod singulis hominibus accidit. Galli igitur et Angli 1), quibus solis, si modo voluntas non deerat, vires ad propositum adsequendum non deerant, (ceteri possunt excusari, quoniam cum voluntate optima has vires conjunctas non habuerunt) ignaviæ turpis se adstrinxere? Vel destitutane Polonia est non propter timiditatem quamdam, sed propter hanc artem politicam omnia ad suam utilitatem referentem gubernantium, quam, postponentem populorum veras utilitates commodis suis privatis, non erubescunt aperte sæculo undevigesimo tractare? 2) Quæcumque caussa sit, Gallia, Polonis nullam efficacem operam præbens, gloriam obscuravit, quam magnam paullo ante consecuta est animo præsenti, quo imperium impotens in gremio nascens comprimebat. Quæ materia ei esset de se merito gloriandi, si libertatem, quam sibi ipsa corroboravit, etiam "*amicis suis in vita et in morte*" transtulisset! Nullus populus est, qui tanto jure fratres Gallorum appelletur quam Poloni, præterquam enim quod similitudo ingenii indolisque iis nomen paravit *Gallorum orientalis Europæ*, etiam propinqua societas inter Poloniam Galliamque a veteribus inde temporibus interfuit. Rex reginæque originis Gallicæ throno Polonico insederunt; sæpe familiæ ambarum nationum inter se sanguinis vinculo sociabantur; semper Poloni in Gallia familiariter præ aliis advenis excipieban-

---

1) Accusatio tamen non tam populos ipsos lædit, quibus certe animi prompti non abnegentur quorumque desiderio si fuisset satisfactum res Polonica meliorem habuisset eventum quorumque denique hodierna humanitas erga exsules maxime est laudanda, quam imperii clavum tenentes, qui tergiversationibus timidis moram impedimentumque ardori populorum adtulerunt.

2) "Die Politik überhaupt, wie sie bisher fast ausschliesslich geübt worden ist, fasst nur *die Gegenwart* einseitig ins Auge und nimmt in ihren Massregeln oft nur gar zu sehr einzig und allein auf Zwecke *der Gegenwart* eine beschränkte Rücksicht, daher sie denn auch nicht selten *nur ephemere* Werke begründet; sie baut oft, ohne alle Voraussicht, einzig und allein für den Tag, den sie erlebt, und sie wird freilich dann auch nur um so öfter für ihre Werke schon von dem nächsten Tage Lügen gestraft." *Beiträge z. bessern Kenntn d. neuen Griechenl.*, in hist., geograph. und literar. Beziehung, von Th. Kind, Neustadt a. d. O., 1831, p. V.

tur; Galli eodem honore in Polonia fruebantur; illis pugnantibus pro sua libertate horum privati plurimi auxilio quasi quadam naturæ conjunctione advolarunt et in bellis, quibus orbem quassavit Napoleon, semper inveniebantur Poloni in exercitibus Gallicis miscentes suum fratrum horum suorum sanguine in Ægyptia, in Hispania, in Italia, ad Rhenum et ubicumque locorum, in quos heros ille sua arma ferebat. Nuperrime vidimus Polonos inter viros illos intrepidos Julii mensis Gallosque hoc debitum retribuentes in pugnis immortalibus adversus Moscovitas. Hæc mutua familiaritas Polonis caussam justam dedit in rebus asperis præsertim in Gallia spei repositæ habendæ, et hoc regnum, cui numen magnam potentiam conservavit, rem suæ famæ periculosam existimare oportuit, si non ad hanc spem responderet. — Angli, qui se ostentant populum liberrimum Europæ, nunc se minus laudandos præbuerunt, quam olim. Etsi enim hi temporum successu Polonis non tam intime usi sunt, quam Galli, tamen justum fuisset si rei se immiscuissent humanitatis caussa libertatisque, qua ipsi fruuntur quamque tantopere amant, præsertim cum ingentes eorum copiæ navales terribile est instrumentum, quo facilius pondus demonstrationibus suis addere possint. Exemplum ex Elisabetha illa regina fine sæculi sedecimi cepissent, quæ interdum partes suscepit defendentis jura populorum oppressorum et semel etiam nervose pro Polonis intercessit 3).

Quamquam vero Polonia denuo operam perdidit in libertate recuperanda non tamen credamus eam exspirasse. Cum vicini eam dividentes e loco detruderent, quam fere per mille annos inter alia Europæ regna obtinuisset, non extenuata erat ut hi populi, quos historia ostendit, ut jubet lex naturæ, aliis vigore juvenili florentibus cessisse, sed nuper cœperat se reficere e ruina, in quam præsertim post tempora Johannis Sobieski turbis potissimum civilibus lapsa erat, et celeriter suæ restitutioni obviam ivit. Identidem in oppressores consurgentes indignationem dominationis externæ patefecerunt Poloni acerrimisque contentionibus sese præbuerunt dignos, qui liberi populi conditione fruerentur. Quæ quidem honestæ contentiones adhuc non ex voluntate cesserunt, tamen magis magisque ad bonum exitum adpropinquarunt, ad quem denique Deus omnipotens ac justus eas sine dubio perducet. Audiamus filiam quamdam Poloniæ eandem sententiam enuntiantem, Polonos scilicet prius non quie-

3) Bronikowski, die Geschichte Polens, 3:es Bändchen, pag. 5.

turos, quam ad propositum pervenerint: — — — — ”Mag immerhin ein tapferes Polenheer sich verblutet haben. Mögen Polens weite Ebenen zum Kirchhofe geworden sein, hohl von den Gräbern der Vertheidiger der Freiheit und der erlegten Feinde; die blutige Saat wird furchtbar wuchern, und die Kirchhofstille wird abermals verscheucht werden vom Geklirre der Waffen. Jedes einsinkende Grab wird den Wandrer zurufen: Hier mahnt ein gefallener Freiheitskämpfer sein unterjochtes Geschlecht an die Pflichten gegen das Vaterland! Jedes Todenbein, welches die Pflugschaar unter der dürftigen Erddecke hervorwühlt, wird einen Fluch über die Unterdrücker von des Landmanns Lippen lösen, und das Gelübde der Rache wird ihm folgen 4). — — — — — — — — Die leidenschaftlichsten, glühendsten Neigungen der Menschenbrust sind gewöhnlich die, welchen die grössten Hindernisse bei der Befriedigung entgegenstehn. So kam es auch, dass, während eine barbarische Politik das Wort der Vernichtung über Polen aussprach; das Vaterland für jeden Polen nur um so werther und theurer wurde. Die Vaterlandsliebe gestaltete sich jetzt zur heissen, heiligen Leidenschaft; sie nährte die Liebe zur Unabhängigkeit und verlieh den Gebeugten neue Energie. Wo aber das Joch des Unterdrückers solche Resultate hervorbringt, wird es der Gewalt wohl möglich sein, physisch zu herrschen, allein moralisch bleiben die Bewohner eines solchen Landes immer unbesiegt. Ihre Gesinnungen werden sich durch eine fortwährende Reaktion beurkunden, und im günstig scheinenden Augenblicke wird der Kampf gegen die Unterdrücker immer wieder beginnen 5).

Mihi conanti excursiones facere intra territorium Slavicæ historiæ patet campus sane latissimus 6) et a nobis Suecis adhuc pæne inaratus.

---

4) Skizzenbuch aus den Tagen vor und während der poln. Revolution vom J. 1830. Von einer Polin. Fürth, 1832, p. 2.

5) idem liber, p. 5 et 6.

6) Slavis enim eundem latum sensum tribuo, quem celeb. Tappe, in *Gesch. Russlands*, nach *Karamsin*, 1:er Th., p. 29—34. Dividit eos in tres ordines: ”reine; gemischte und germanisirte Slaven. Zu den *reinen* oder *Urslawen* zählen wir: Die Russen, Polen, Böhmen, Mähren, Slowaken, Hannaken, Serbier, Bosnier, Slawonier, Dalmatier, Kroaten und Winden, obgleich das Gemischte auch bei ihnen hier und da mit unterläuft. Zu den *germanisirten Slawen* zählen wir eine grosse Anzahl von Menschen in Pommern, in Mechlenburg, auf der Insel Rügen, in Holstein, Lüneburg, Brandenburg, in der Nieder- und Oberlausitz,

His etiam posterioribus temporibus est demum Slavorum historia et ab indigenis altius accuratiusque tractata et ab alienigenis diligentius observata. Præsertim Russia potentia maxima, quacum procedit, omnes in se vertit; Polonia quoque, quæ olim, ut potentissima fuit Slavicorum sororum, ita scientiis floruit, magna parte Europæ reliquæ claro earum lumine nondum illuminata, iterum intermortuam suam memoriam renovavit. Non credo me omnem operam perdere, si adgrediar ad tractandam historiam Slavicæ gentis, quæ parum sane nobis est cognita, etsi digna, cui non minus vacemus quam historiæ Europæ occidentalis, cum non solum omnino magni momenti sit historiæ universali sed plurium etiam hujus gentis nationum res gestæ nostram patriam plus minusve attingant. Ad Russiam aliasque nationes deinde veniamus. Haud dubie mirum non videbitur, si Polonia juveni nondum annum vigesimum agenti se obtrudit, qua primum occuper. Mihi autem mirum sane videtur, historiam Poloniæ in Suecia tam neglectam esse, ubi studium historicæ scientiæ tamen satis floret; vicinorum enim historia non recte potest intelligi sine notitia illius et Suecis cum Polonis sæpius negotium fuit; familia regia Suecana regalem sedem Polonorum obtinuit: Polonia caussa et scena fuit multarum præclararum rerum, quas gesserunt nostri immortales heroes Gustavus II Adolphus, Carolus X Gustavus et Carolus duodecimus. Præterea pristina ejus potestas, fata, constitutio singularis et modus imperii, qui sui generis unicus est, efficiunt, ut hujus populi historia præ multis moveat atque delectet.

Priusquam autem ad historiam ipsam accedam, forsan non erit alienum, si præmittam expositionem qualemcunque quorundam præcipuorum auctorum, quos quisque historiam Poloniæ scripturus consulat necesse est. Cum perpaucorum scriptorum in Suecia editorum, quæ Poloniam tractent, omnia sint e linguis externis translata nec ullum a Sueco quodam conscriptum sit, non miror, horum auctorum nomina a plurimis nunc primum audiri. Non tamen credant litteraturam Polonicam oblivioni datam neque in genere nec historicam separatim vilem esse 7). Est contra am-

---

in Schlesien und an beiden Ufern der Elbe, bis zur Saale. Zu den *gemischten Slawen* rechnen wir die Letten, Litthauer, Moldauer und Walachen, so wie die noch jetzt wendisch redenden Lausitzer.

7) Ab hac sententia, quisque, qui eam habeat, mox avocabitur percurrens e. g. Simonis Starowolski illustrium Poloniæ scriptorum catalogum aut *Bibliothecam Braunianam*, qui tamen libri antiquiores tantum Poloniæ scriptores continent.

plissima, tamen non æstimanda potissimum ex fructu, quem litterarum disciplinæ ex illa capiant, quamvis etiam, si talis spectetur, opera præclara ostendere possit; ejus maximum pretium est litteraturæ patriæ proprium, quo tanto pauci alii populi fruuntur. Præsertim se vertit hæc litteratura circa materiam eam, quæ statum rerum reipublicæ respiciat. Quo factum est, ut paucissimi inveniantur philosophi et mathematici 8), permulti autem historici probe subacti ingeniosique, et poëtæ grandes 9). Inter hos libet qvosdam excellentissimos nominare: inter antiquiores, Krzycki, Janicki, Dantiscus, qui egregie Latino sermone cecinerunt, Joh. Kochanowski (n. 1532 m. 1584), "*qui in Latino carmine noscitur eruditus et bonus, in Polonico vero eminentissimus poëta*" 10), "*qui in patrio sermone neque parem, neque secundum hactenus habuit*" 11), Zimorowicz, Symonowicz 12); inter octodecimi et hujus sæculi: Ign. Krasicki (n. 1735, m. 1801), Franzisczek Karpinski, Valent. Gurski, Stanisl. Trembecki, Jul. Ursin. Niemcewicz, Paul. Woronicz c. plur. Non taceam linguæ Polonicæ elegantiam, quæ dicitur magna esse; tempus fuit, quum hæc lingua fere a Latinitate omnino depelleretur; sæculo demum sedecimo regnantibus duobus Sigismundis recepta est; auctores ea uti cœperunt, qua re jam tum multum excolebatur. Sæculo autem septemdecimo denuo neglecta est, donec, sæculo sequenti, tempore Stanislai Augusti iterum invaluit et postea perpetuo adhibita ad tantum culturæ gradum pervenit, ut nunc laudetur elegantissima omnium linguarum Slavicarum et in nulla fere re cedat linguis reliquæ Europæ. Propter linguæ accumulatas consonantes existimemus eam nec sonoram nec flexibilem esse, et tamen has virtutes magnas habere dicitur. Qua maxima linguæ mollitie factum est, ut facillime et accuratissime scripta quæcunque in hanc transferantur. Sic seculo sedecimo supra memoratus Joh. Kochanowski psalterium Davidis ex-

---

8) Inter hos non possumus, qvin nomen Nicolai Kopernici summa reverentia nominemus. Vel hodie vivit fortasse Joh. Sniadecki, astronomiæ professor Universitatis Vilnensis, vir de sua scientia optime meritus.

9) Vid. Conversations-Lexicon, Leipzig 1830, 8:er Band, p. 666.

10) Bibl. Braun. p. 106.

11) Sim. Starow. centum script. Polon. elogia et vitæ, p. 45.

12) Prolixitatem literaturæ poëticæ Poloniæ mente concipies, si tibi narro *Hieronymum* Juszynski, in suo lexico poëtarum Polonorum, enumerare 1264 poëtas, quorum opera usque ad annum 1750 sunt edita.

cellenter transtulit 13) et Horatium, alter vero ejus frater Andreas transtulit Æneida Virgilii, alter Petrus Tassonis Hierosolymam liberatam; serioribus temporibus eleganter vertit Homerum Fransiscus Dmochowski, criticus magnus, Scoticum poëtam Ossian verterunt Krasicki, Tymieniecki et Brodzinski, Horatium egregie Naruszewicz, qui etiam Tacitum tam fideliter reddidit, ut in hac versione easdem virtutes ac vitia invenias, quæ habeat ipse Tacitus. Niemcewicz tam bene et accurate quædam Anglica carmina transtulit, ut Bowring 14) obstupesceret et vix intelligeret, quomodo fieri posset, ut in alteram linguam non solum omnia decora transferrentur archetypi, sed auctor etiam totidem fere verbis et lineis redderetur 15). Oginski, Karpinski, Kowalski, Zylinicki verterunt opera Gallorum Corneille, Voltaire, Delille, Moliere, Racine. Sed me cohibeam; animus mihi est tantum litteraturam historicam tractare; eo, quod adtuli, solummodo volui quædam monere rem non nullius pretii facere, qui tempus Poloniæ cognoscendæ impertiat; offendet enim populum ingenuum et fortem, cujus historia est varia et jucunda, litteraturam late patentem, linguam elegantem. Redeo ad propositum, orans rogansque, ut lector vitiis hujus opusculi ignoscat. Non ignoro peritiam linguæ Polonicæ necessariam esse, si quis aliquid perfectum hoc in genere relinquere velit; tamen facilius ea caremus in priori dissertationis parte, ubi plerumque occurrunt auctores Latine scribentes, quam in posteriori, quæ ætatem complectitur, per quam diligenter lingua patriæ utuntur Poloni in scriptis historicis. Quam ipsam ob caussam tantum breviter delineetur hæc pars; alio tempore fortasse iterum prolixius ad eam admoveam manum.

---

13) "Inprimis psalterium ipsius Polonicæ linguæ gnaris, ante omnes, quotquot unquam hunc sacrum librum carminicum vernacula sua, aut etiam latina decantarunt, apparet optimum et suavissimum esse, ita ut nunquam absque commotione aliqua animi devoti legi possit." Bibl Braun. p. 106.

14) Specimens of the polish poets. London 1827.

15) Polen, von Karl Andree, p. 392.

I. 16).

Conspectus præcipuorum quorundam scriptorum historiæ Poloniæ usque ad medium sæculi duodevigesimi.

Ut plerumque litterarum status in civitatibus, harum vel meliori vel pejori fortunæ obedit, ita etiam in Polonia litteræ in genere, et scientia historica in specie simili in caussa per hanc periodum fuerunt. Quemadmodum videmus rempublicam emendatis veteribus elementis sensim surgere, donec ad summum gloriæ gradum pervenerit, paullo autem post labare et denique totam ruere in perniciem, ita primum apparent chronicorum scriptores vera et fabulas jejune commiscentes, deinde conspicimus historicos accuratos graviter et copiose et generalem et specialem suæ patriæ historiam tractantes, insignes orationis suavitate linguæque puritate; etsi adhuc non pauci scriptores sæculo septemdecimo inveniantur, tamen magis magisque imminuuntur eorum merita, tandem sæculi duodevigesimi primo dimidio est omne studium litterarum fere exstinctum.

Historia Poloniæ non trans septingentesimum annum p. Chr. n. revolvitur, tamen primordia ejus maxima obscuritate laborant, quæ etiam Christiana religione introducta non funditus solvitur, sed perstat fere usque ad sæculum duodecimum. Cujus rei caussa fuit, quod nulli per longum temporis spatium exstiterunt, qui adnotarent aliquid de Polonia,

---

16) Ei, qui velit tractare litteraturam Polonicam generatim, utilem operam præstabunt historia litteraturæ Poloniæ Felicis Bentkowski, nec non opera præclara a Slowackj, Siarczynski c. pl., sed cum hæc omnia Polonice sint conscripta, ille hujus linguæ peritus sit necesse est. Me in historica litteratura potissimum versantem sine dubio multum juvasset *Revue encyclopédique*, Oct., 1827, sed non potui in hunc fasciculum incidere. De cetero sunt fontes hujus primæ partis meæ dissertationis libri enumerati apud Wachler, *Handb. d. Gesch. d. Litteratur*, 3:er Th., p. 361 et apud Ersch, *Litteratur d. Gesch.*, p. 954. Omnium autem horum tantum mihi præsto fuerunt: Simonis Starowolski scriptorum Polon. ἑκατοντάς, Frkf. 1625; de scriptorum Poloniæ et Prussiæ historicorum etc. in *Bibliotheca Brauniana* collectorum, virtutibus et vitiis, catalogus, et judicium, Coloniæ 1723; et J. D. Janotzki, Nachricht von denen in der Zaluskischen Bibliothek sich befindenden raren polnischen Büchern, sed adfuit solum tomus 1:mus, Dresden 1747. Subsidio mihi præterea fuerunt alia quædam scripta, quæ passim allegata invenies.

exceptis quibusdam externis, qui tantum hoc regnum memorarunt in suis negotiis cum aliis regnis, e. g. *Dithmarus Merseburgensis*, qui suæ inimicitiæ erga Boleslaum Chrobri aperte indulget. Primi igitur Poloni, qui patriæ historiæ illustrandæ dabant operam, nullas notitias de origine et antiquiori statu habentes nisi quasdam traditiones, has adjectis haud paucis, quæ ipsi fingebant, amplificarunt. Tali modo, ut videtur, hæ fabulosæ ortæ sunt narratiunculæ, quibus antiqua Poloniæ historia est impleta, quasque optimi historici iterum atque iterum repetierunt. Neque etiam paullulum scriptores Poloni non veritatem læderunt in adsertionibus externorum refellendis; illorum nimius est erga patriam amor, cui non magis fidendum est, quam horum aperto partis suæ studio. Hæ sunt difficultates, quæ historiæ antiquiorum temporum inhærent 17). Cum duodecimo sæculo illæ evanescunt; tum vixit chronicorum scriptor adhuc vetustissimus; cultura jam magnos facit progressus, historici per alternas vices prodeunt, tempora illustrantes. Opera forte non abutor, si, priusquam ad hos exponendos accedam, quædam de illa cultura dicam, præsertim cum tabula iis illuminetur, et ad multos ne permanaverit quidem eam in Polonia temporibus tam remotis, terris circumcirca in tenebris errantibus, tam magnam exstitisse. Postquam obscuritas ethnica lumini Christianæ religionis cesserat, immigrarunt plurimi clerici, partim Bohemi, partim Itali; ordines monachorum etiam in Polonia sedes sibi fixerunt et de adhuc rudibus Polonis optime promeriti sunt, in monasteriis eos erudientes; præsertim monachis Benedictinis multa Poloni debent. Plurimis Italis in Polonia versantibus mox romana litteratura ibi cognita est. Libri jam undecimo sæculo hic inveniebantur et sæculo duodecimo non pauci libris scribendis vacabant. Mathias Cholewa, episcopus Cracoviensis (1166), e cujus opere tres primos libros suæ historiæ sumsisse Kadlubek existimatur 18), citat Institutiones Justinianeas et Pandectas, quæ demum triginta annos ante in Italia repertæ sunt. Quod quidem ostendit Poloniæ cum hac terra intimam societatem. Idem scriptor citat multos alios latinos auctores, nominatim Justinum. Lelewel hæc citata cum Justino comparavit et plura invenit, quæ non in hodiernis editionibus occurrunt, ex quo conjicit magnam historiam Trogi Pompeji, nunc perditam, sæculo duodecimo forsan in Polonia notam fuisse. Præterea inveniuntur

17) Tamen speramus fore, ut critici, qui nunc omnem curam et diligentiam in hac parte Poloniæ historiæ expedienda ponant, non plane suam operam perdant.

18) Wachler, Handb. d. Gesch. d. Litteratur, 2:er Th., p. 237.

apud Matthiam Cholewa loca citata e Valerio, historicus temporibus romanorum imperatorum, qui etiam nunc non exstat. Virgilius plurimis notus erat et multum legebatur. Lelewel contendit scholas et Bibliothecas jam sæculo duodecimo in Polonia floruisse 19). Tredecimo sæculo Poloni ludos Gallicos Italicosque frequentarunt, Patavii et Bononiæ magno honore fuerunt et magistratus academicos gesserunt, etiam dignitatem rectoris adsecuti sunt. In hac assidua consuetudine cum occidentali Europa, tamen in Poloniam non irrepserunt tricæ theologicæ medii ævi et nugæ cavillationesque scholasticæ, in cetera Europa vigentes. Quorum omnium nulla vestigia in Polonia deprehenduntur. Cum Casimiro III magno, qui imperium anno 1333 capessivit, incipit aurea ætas Poloniæ, quæ usque ad mortem Stephani Bathory 1587 floruit. Casimirus fundavit 1347 Cracoviæ Universitatem ad exemplar academiæ Lutetiæ Parisiorum. Quæ Universitas prima erat sui generis in septemtrione; initio lente crevit, sed, postquam anno 1400 nova acceperat privilegia, brevi tempore miros fecit progressus et facta est primaria sedes culturæ Slavicæ; facultas theologica erat celeberrimi nominis et doctores hujus Academiæ in Concilio Basiliensi sedem proximam judicibus ex Universitate Bononiensi tenebant 20). Flos juvenum Poloniæ scientiarum cupidorum Cracoviam petebat et tantus erat concursus, ut Posnaniæ (Posen) etiam Leopolique (Lemberg) academiæ instituerentur, quæ huic literarum studio satisfacerent. Anno 1474 prima officina typographica in Polonia Cracoviæ condita est, idque peropportune venit, nam propediem sub imperio felici duorum Sigismundorum (1507—1572) litteratura propria surrexit. His regnantibus, res secundæ et felicitas omnium ordinum, litteræ, artes, agricultura, mercatura et facilitas erga dissentientes in sacris ad regnum primæ dignitatis Poloniam sustulerunt. Thuanus 21) hoc tempore inter alia hæc de ea dicit: "regio ferax, oppidis et vicis ac castellis frequens, fluviis crebris irrigua, et ad hæc generosa nobilitate abundans, quæ armorum curam fere cum litteris conjungit. Itaque et regionum visendarum gratia nobiles ac primores adolescentes crebro lares paternos deserunt, et magnam secum doctrinæ copiam et optimarum rerum usum non mediocrem, quod illis incle-

---

19) Polen, von Karl Andree, p. 375.

20) Polen, von Karl Andree, p. 380.

21) Historia sui temporis, tom. 3, p. 265, editionis Lond. 1733 impressæ, quam, omnium nitidissimam, possidet Bibliotheca Univers. Lund.

mentis coeli rigore denegetur, ex peregrinationibus collectum domum referunt." Sigismundus I:mus, ipse ut juvenis bene litteris imbutus a viribus, quales fuerunt DLUGOSZ et CALLIMACHUS (Buonacorsi), voluit, ut populus omnino se excoleret, præsertim autem, ut nobiles, robur nationis, studiis diligenter incumberent. Quo factum est ut hic ordo in Polonia gradum culturæ attigerit, ad quantum vix in reliqua Europa nondum pervenisset. Raro nobilis inveniebatur, qui non facile tribus vel quatuor linguis uteretur, latine saltem omnes elegantissime loquebantur, quæ lingua fere linguam Polonicam usque ad hæc tempora abegerat. Etsi fatendum sit, nobilium crebris peregrinationibus ineptias nonnullas novas fuisse introductas, ut hæc luxus ludibria, studium novo, qui statim mutatur, more se vestiendi, convivia opipare apparata agendi et ejusmodi; tamen priscæ virtutes adhuc in vita erant et vim habebant. Sub imperio Sigismundi II Augusti litterarum cultura et doctrina ejusque centrum, Universitas Cracoviensis, magis quam antea floruerunt. Docti in omnibus scientiæ partibus opera conscripserunt, scriptores optimi et veteres et novi polonice redditi sunt; in tribus et octoginta urbibus officinæ typographicæ erant conditæ; Cracovia sola quinquaginta tales habuit 22). Hujus culturæ fructus erat illa indulgentia in sacris in Polonia diu observata, ex qua, cum in cetera Europa homines ob suas opiniones religiosas vinculis mandarentur, igni damnarentur aliisve modis interficerentur, hic refugium erat securum omnibus, qui ex his calamitatibus effugere potuissent; quare omnium nationum permulti etiam immigrarunt et regno industria sua magno fuerunt emolumento. Anno post mortem Sigismundi Augusti Poloni comitia habebant creando regi, et Henricum de Valois eligebant ea conditione, ut libertatem religiosam non læderet; quum ille diu huic conditioni resisteret, parum abfuit, quin eum dignitate nuper accepta exuissent 23). Hic afferam descriptionem THUANI 24) legationis, quam mittebant Poloni Lutetiam Parisiorum 1573, ut Henrico jam memorato electionis decretum traderet; argumento etiam est iis, quæ supra de maxima nobilium Polonorum cultura dixi. Polonis urbem cum pompa ingredientibus, "ad novum spectaculum," inquit, "quo minus cuncti in urbe confluerent, non ætas, non valetudo, non sexus quemque retardavit; sic ut fenestras in viam de-

---

22) Polen, von KARL ANDREE, p. 246.

23) BRONIKOWSKI, Gesch. Polens, 2:es B:chen, p. 87—88.

24) Historia sui temporis, tom. 3, p. 280.

spectantibus plenas, referta tecta ac sub multitudinis pondere laborantia, oppletas vias et angustum sibi tramitem ad transeundum relictum, novi hospites mirarentur; cum contra Parisienses vasta corpora, vultus insolita gravitate torvos, summissas et rutilanteis barbas, pileos pretiosis pellibus fartos, gemmatos enseis falcatos, ferratas ocreas, pharetras et arcus, rasumque occiput, et cothurnatos gallicis ferreis a luto defensos, non sine stupore adspicerent. Ex iis omnibus nullus non Latini sermonis peritus erat; plures Italice et Germanice loquebantur: quidam etiam tam concinne Gallicas voces proferebant, ut ad Sequanam potius aut Ligerim quam ad Vistulam aut Borysthenem nati viderentur; pudore interim aulicis, litterarum non tantum rudibus, sed infestis hostibus, incusso, qui interrogati ab hospitibus suis erubescere et nutu tantum respondere cogebantur." De legatis igitur adjicit DANIEL 25) "ils furent fort surpris de ne trouver parmi tant de Noblesse, que deux Gentilshommes, qui pûssent les entretenir en Latin, sçavoir le Baron *de Millau* et *Castelnau-Mauvissiere* qu'on avait fait venir exprés à la Cour, pour soùtenir en ce point l'honneur de la Noblesse Françoise, qui étoit alors dans une extréme ignorance."

Communis hæc cultura sub regimino nervoso Stephani Batory non imminuta est, qui 1576 Universitatem Vilnensem instituit, quam cum tota publica institutione Lithuanorum curæ Jesuitarum tradidit. Hic ordo in Poloniam immissus est a Cardinali HOSIO, Varmiæ (Ermeland) episcopus, et cum nondum aliis innotesceret quam plurimis doctissimis viris, quos inter membra sua numeravit, eum Stephanus litterarum amans benigne excepit. Adhuc regnante Sigismundo III (1587—1632), a quo tamen decrementum Poloniæ inchoat, Poloni 1149 celebres viros numerant, inter quos 711 sunt scriptores 26). Jesuitæ interim sese fecerant familiares; cum hactenus vitam quietam, docentes et discentes, degissent, nunc aliam sibi induebant faciem, omnibus rebus tumultuose se immiscentes. Sensim suis machinationibus illam indulgentiam in sacris subruerunt, quam Polonia tamdiu tuens, et gloriam sibi paraverat et commoda perceperat; jam ante scholæ Lithuanicæ in eorum tutela fuerant, nunc etiam in Polonia curam doctrinæ puerilis ad se rapientes, juventutem corruperunt. Ad hoc venerunt temporum mala, inter quæ bella infelicia et devastantia non minima erant. Quibus omnibus factum est, ut animi efferarentur et amor

25) Histoire de France (Paris 1713), tom. 3, p. 1053.

26) Polen, von ANDRÉE, p. 382.

studiis ingenioque excolendo se occupandi inclinaret. Tamen fine septemdecimo sæculo adhuc aliquid culturæ offendimus. Initio autem proximi, regnantibus duobus Augustis e Saxonia, Polonia effigiem proposuit barbariei, quæ medio ævo per Germaniam et alibi dominabatur; ut temporibus, quibus jus fortioris valuit, ita nunc optimates armis inter se disceptabant. Vix crederes eandem Poloniam esse, quæ olim in bellis et pace tantum alias nationes superaret, quantum nunc omnibus in utroque longe esset inferior. — Sed examinemus, qui viri in historia patriæ illustranda eminuerint per hos diversos culturæ gradus:

1. Martinus Gallus 27) est primus Poloniæ historicus adhuc cognitus; quædam enim ejus verba 28) præbent caussam, cur credamus alium quendam ante eum fuisse, quem saltem in 1:mo et 2:do suæ historiæ libro secutus sit. De Martini Galli vita parum liquet; origine Gallus, quod nomen ejus etiam indicit, juvenis in aula Boleslai III versatus est. Hic rex mortuus est 1139; certum igitur est tempus, circa quod vixit. Postea nomen regulæ S. Augustini dedisse dicitur et bis in Palæstinam peregrinatum fuisse. Chronicon, quod conscripsit, complectitur historiam Poloniæ a Piasto usque ad annum 1120 in tres libros divisam; pauca ipsius verba et genus dicendi, quo utitur, docent Martinum Gallum eam scripsisse juvenem; operis enim totius dictio est jucunda et minime morosa, genus dicendi festivum magis quam severum, intermixtis versibus et facetiis sparsum 29). Caussam, cur hoc gravissimum opus tamdiu latuerit, alii aliam dicunt 30); Dlugossus et Cromerus eo tamen suas historias scribentes usi sunt, etsi forsan diversos codices habuerint; hic Kadlubkonem, non Martinum Gallum, nominat antiquissimum historiæ Polonicæ scriptorem 31); Braun 32) credit hoc factum esse, quia Martinus Gallus extra-

---

27) Nullæ editiones hujus scriptoris historiæ mihi præsto fuerunt. Starowolski et catalogus historiæ Polonicæ D:ni de Solignac præfixus, de eo tacent; Braun in sua Bibliotheca paucissimis verbis de eo facit mentionem. Quæ igitur heic de eo adnotavi, fasciculo 1:mo *monumentorum Cracoviensium*, Cracoviæ 1829 edito, debeo.

28) Monum. Cracov. fasc. I. p. 72.

29) Mon. Cracov. fasc. I. p. 73.

30) Monum. Cracov. fasc. I. p. 76.

31) Mart. Cromeri historia, lib. VII., p. 126

32) Bibl. Braun. p. 194.

neus erat et paucis notus. Fortasse autem verisimilius est, eum, de ætate ejus deceptum, firmiter putasse Kadlubkonem antiquiorem fuisse; hæc sententia serioribus etiam temporibus est enuntiata 33).

Godofridus Lengnich primus Martinum Gallum una cum Dzierzwæ epitome Kadlubkiana a. 1749 fol. edidit, quam editionem Mizler a Kolof in tomo 3:tio suæ collectionis magnæ 34) recudendam curavit. Chronici denuo e litteratorum manibus fere elapsi editionem aliam ad fidem codicum plurium manuscriptorum recensitam Johannes Vincentius Bandtkie, ex mandato regiæ societatis philomathicæ Varsaviensis, a. 1824, 8., Varsaviæ vulgavit.

2. Vincentius Kadlubko vel Kadlubek creatus est a. 1207 episcopus Cracoviensis, quod munus sponte postea deposuit et amans vitam monasticam primus fuit Polonus, qui regulam ordinis Cisterciensis secutus est; se ad monasterium Andrejoviense (Jendrzeïow in Palatinatu Cracoviensi) contulit, ubi etiam 1223 mortuus est. Jussu Casimiri, cognomine Justi (mort. 1194), sibi suscepit historiam Poloniæ conscribendam. Quæ historia in libros quatuor est distributa, quorum tres priores sunt scripti dialogice et in formam epistolarum redacti; eam ad annum 1204 Kadlubek continuavit. Primus fuit, qui ausus est prolixius dicere de Poloniæ statu ante Piastum. Cum fontes nulli exsisterent, nisi forsan traditiones quædam ac cantilenæ, alii sane non multa hoc campo collegissent. Sed Kadlubek non hæsit, quomodo se expediret, errans in tantis tenebris; utpote enim a natura bonum ingenium habuit 35), hoc impigre usus est in fingendis fabulosissimis rebus 36). Quod fecit ductus amore patriæ, temporis credulitatem respiciens, his aliis similis, qui populis assentandi caus-

---

33) Polnische Bibliothec, 3:es Stück, p. 250.

34) Integrum titulum videas apud Ersch, Literatur d. Gesch., p. 951.

35) Vid. Catalogum historiæ D:ni de Solignac præfixum.

36) Exempla allata apud Braun. Ille vehementer in Kadlubkonem invehitur, dicit de *"exsiccata ac coenosa palude, cui aquam ex oratoriâ ac morali supellectile sua, et hanc limosam satis, affundere necessum habuit, ad complendas paginas.* Eum ob barbarum et instricatum latine scribendi genus, quo utitur, increpat et tandem judicat, eum *"propter solam antiquitatem, sed ob aliam utilitatem plane nullam, mereri locum inter scriptores Poloniæ."* Braun tamen sine dubio severius justo agit.

sa, antiquam eorum historiam incognitam narrationibus e cerebro natis exornarunt. In his ridendis fabulis, quas Kadlubek affert, tamen multa haud contemnenda reperiuntur, quæ traditionibus veris innituntur; quartus ejus historiæ liber, in capita dispertitus, continet ætati auctoris proxima et coæva, quam ob caussam maximi est momenti.

Quod ad linguam latinam et genus dicendi, quo Kadlubek utitur, pertinet, illa nullo modo potest conferri cum Martini Galli latinitate, cum dicatur plena esse verbis obscuris et ab eo ipso excogitatis; hoc vituperant ut durum et digressionibus a re ipsa tractanda prægravatum 37).

Tempore Vladislai Jagiellonidis (qui ad Varnam occisus est a. 1444) quidam anonymus sibi sumsit partes commentatoris Kadlubkonis; qui cum vitia Kadlubkonis corrigere debuisset, contra propriis erroribus ea auxit; fidem fabularum Kadlubkonis non solum non studuit ut solveret, sed etiam ut firmaret testimoniis, quanta plurima colligere potuerit. Cum Kadlubek fingit Krakum vixisse tempore, quo Galli in Græciam irruebant, quod scimus evenisse circa annum a. Chr. 279; commentator ejus eundem existimat regnasse in Polonia fere 400 annis a. Chr., confundens scilicet migrationem Gallorum in Græciam cum eorum in Italiam irruptione, cui annus 390 a. Chr. tribuitur 38). Videmus igitur Kadlubkonem esse spinosum et caute adhibendum, quare comes Ossolinski bene de omnibus, qui historiam Polonicam amant, promeruit scripto, quo ad hunc antiquum scriptorem rite intelligendum viam aperuit faciliorem; hoc scriptum S. G. Linde Germanice reddidit 39). Comes Henricus Kownacki Varsaviæ a. 1824 novam editionem historiæ Kadlubkonis adnexo Dzierzvæ *chronico Polonorum* 40), in tomis duobus, 8., edidit.

Contendunt quidam, Kadlubkonem tantummodo librum quartum scripsisse et ita continuasse tres priores libros, quos Johannes, Archiepiscopus Gnesnensis et Matthæus Cholewa, episcopus Cracoviensis, dialogice

---

37) Cfr. Braun p. 201 et catalogum historiæ D:ni de Solignac præfixum.

38) Braun, p. 195.

39) Titulus est: Jos. Mx. Graf Ossolinski: Vinc. Kadlubek, e. hist. krit. Beytr. z. slav. Literatur etc. etc.; cfr. Ersch, Literatur d. Gesch. p. 951.

40) Quando hic Dzierzwa vixerit, incertum est Chronicon ejus vulgo ponunt esse epitomen Kadlubkianam.

conscripsissent; dicunt eum sub epistolarum titulis hos in formam solummodo redegisse. Alii autem, inter quos BRAUN 41), putant dialogicam formam fuisse inventam a Kadlubkone, ut liberius narraret et novis rebus, de quibus suos cives certiores faceret, majorem auctoritatem pararet. Quam sententiam etiam comes KOWNACKI sequitur 42).

Historiæ Polonicæ Kadlubkonis antiquissima editio Drobromili a. 1612 est impressa in 8:o, curante quodam Fel. Herburto 43).

3. BOGUPHALUS, secundus hujus nominis Posnaniensis episcopus, scripsit *Chronicon Poloniæ.* De hoc scriptore ejusque chronico tacent Starowolski et Braun; Cromerus etiam sine dubio in conscribenda sua historia id non ad manum habuit; nullibi enim eum nominat; Dlugosz forsan, qui ante Cromerum scripsit, neque id neque continuationem Baczkonis ignoravit in apparatibus colligendis ad suam historiam episcoporum Posnaniensium. Chronicon Boguphali multa memoranda continet; incipit ab origine Polonorum et abrumpitur anno 1253. Eodem anno obiit Boguphalus. Non bono utitur in opere suo latine scribendi genere, sed in iis, quæ narrat, cautus est et fide dignus, nisi quod pius vir interdum phantasma quoddam ut vere factum memorat 44). Hocce Chronicon continuavit BACZKO vel GLODZLAUS, custos ecclesiæ Posnaniensis, usque ad annum 1271. Coævus erat Boguphalo et ei superstes. Hujus nomen Cromerus audiit, sed ingenue fatetur 45) se ejus scripta non vidisse. Baczko prolixe exponit statum Poloniæ et vicinarum terrarum, qui tum erat 46).

Boguphali chronicon cum continuatione Baczkonis deperditum credebatur, donec initio prioris sæculi SOMMERSBERG codicem manuscriptum reperit, quem corporis sui scriptorum rerum Silesiacarum tomo secundo inseruit 47).

---

41) p. 191.

42) Vid. Ergänzungs-Bl. z. allgem. Litteratur-Zeit., May, 1828, N:o 57.

43) STAROWOLSKI, script. Pol. elogia et vitæ p. 43.

44) Catalogus historiæ D:ni de SOLIGNAC præfixus.

45) Lib. IX. p. 156. HARTKNOCH ex aliorum citatis etiam tantum ejus nomen audiit et falso eum facit antiquissimum Polonicæ historiæ scriptorem in catalogo *suæ reipublicæ* præfixo.

46) Allgem. Gelehrten-Lexicon von JÖCHER, 1:er Theil, p. 701.

47) Allgem. Gelehrten-Lexicon von JÖCHER, 1:er Theil, l. c. et p. 1188.

In ejusdem corporis tomo primo inveniuntur etiam duo chronica, quæ historiam Polonicam tractant, de quorum auctoribus autem nihil est notum: Johannis anonymi *chronica Polonorum* et alterius cujusdam *chronica principum Poloniæ cum eorum gestis.* Ambo dimidio posteriori sæculi quatuordecimi sunt conscripta et laudantur 48).

4. Johannes Dlugosz, etiam *Longinus* dictus, natus est 1415, litteris Cracoviæ studens sibi gratiam episcopi et cardinalis Zbignei de Olesnica (Oels) conciliavit, cui, studiis ad finem peractis, operam suam locavit. Ob negotia quædam sui episcopi Romam 1449 adiit et in Palæstinam 1450 profectus est. Post reditum rex eum filiorum præceptorem nominavit. Postea canonicus Cracoviensis factus est et denique electus Archiepiscopus Leopoliensis (Lemberg); sed ante inaugurationem Cracoviæ 1480 mortuus est. Describitur vir pietatis sinceræ, morum summæ castitatis et laboris assidui 49). *Historiæ Polonicæ libros* XIII conscripsit, ab ipsis initiis usque ad annum mortis suæ, quod opus gravissimum latuit manuscriptum, pulvere obrutum, in tabulariis monasteriorum per reliquum sæculi quindecimi et totum illud expolitum sæculum sedecimum 50). Dlugosz enim candida et inpavida ingenuitate, quam in omnibus suis scriptis ostendit, scelera et vitia neque ecclesiasticorum virorum neque pontificum ipsorum silentio præterierat, quæ erat caussa, cur tamdiu historia ejus supprimeretur 51). Anno demum 1615 idem Felix Herburtus, qvem supra memoravimus primum edidisse Kadlubkonem, Dlugossum protraxit et sex primos libros Dobromili in folio imprimendos curavit; machinationes sa-

48) Catalogus historiæ D:ni de Solignac præfixus.

49) Starowolski, centum illustr. script. elogia et vitæ, p. 31.

50) Mirandum sane est quod temporibus saltem duorum Sigismundorum, quum Polonia viris litterarum et suæ patriæ historiæ amantissimis referta esset, non agebatur de edendis neque antiquioribus scriptis neque Dlugossi historiis. Nullo modo tum exsistebat illa incuria veterum monumentornm, de qua Starowolski queritur in præfatione sui libri sæpius a me citati, dicens: *Quisque megistanum nostrorum mavult sumptus in canes, equos, vestes, servos, vina aut aromata spendere, quam in ea, quæ æternum per gentes et ætates nomen suum propagarent.* Sed forsan operibus plurimorum, qui per hanc ætatem proprio marte patriæ historiam illustrabant et præsertim historia optima Cromeri effectum est, ut antiquioribus scriptoribus facilius carere potuerint; præcipue quum illi his diligenter usi essent, iis quasi historias suas fundantes.

51) Starow., cent. illustr. script. elogia et vitæ, p. 31. Bibl. Braun. p. 19. Catal. historiæ D:ni de Solignac præfixus.

cerdotum videlicet impedierunt, quo minus ceteri etiam nunc ederentur. Hi igitur centum alios annos latuerunt, donec anno 1711 bibliopolæ Lipsienses, J. L. Gleditsch et M. G. Weidmann 52), primos duodecim libros, quos quidam liber Baro H. ab Huyssen iis benigne tradidit, Lipsiæ in folio emiserunt; tredecimus, quem idem liber Baro serius a nobili Polono acceperat, a. 1712 ab iisdem bibliopolis etiam in folio editus est una cum aliis quibusdam scriptoribus historiæ Poloniæ 53).

Quod ad pretium hujus operis, quod Dlugosz manibus Zbignei cardinalis, pristini fautoris, dicavit, attinet, illud magnum sane est. Initio Dlugosz etiam, quamquam alias veritatis amans, fabulis a Kadlubkone etc. fictis indulget, in sequentibus autem libris fide est dignissimus et ob id maxime æstimandus, quod documentis actisque publicis nititur. Quod maxime apud Dlugossum lectores offendit, est nimium ejus studium a materia proposita digrediendi; non enim contentus historiam Polonicam tractare, aliorum etiam regnorum historiam, non solum in Europa, sed in Asia etiam tangit 54); tamen Martinus Cromerus dicit eum hujus mediocriter fuisse peritum 55). Hoc illius scriptoris de eo est judicium 56): "animadvertebam eum non magnopere versatum esse in externis historiis, quæ Polonica scribenti magno adminiculo esse poterant, nonnumquam perplexum esse, nec perpetuo sibi constare, nec rationem temporum tenere: et πλείω πάρεργα τῶν ἔργων, ut Græcis est in proverbio, persecutum esse, et operi imperfecto immortuum, ad recognoscendum id nihil temporis habuisse. Neque tamen magis reprehensione dignum eum judicabam ob id, quod non omnia præstitisset, quam laude, quod primus maximo labore, et indefesso studio, glaciem, quod dicitur perfregisset" 57). Et nemo est, qui neget, Dlugossum meritis sui operis vitia ejusdem offecisse; quod præ omnibus Cromerus fateatur necesse est, pro ope summa ei a

52) Hunc laudat J. D. Janotzki, v. d. in d. Zaluskischen Bibl. sich befindenden rar. Poln. Büchern, p. 3, ob sua de litteratura Polonica divulganda merita tempore, quo apud Polonos ipsos omnis ejus cura exstincta erat.

53) Bibl. Braun. p. 18.

54) Catalogus historiæ D:ni de Solignac præfixus.

55) in epist. dedicat. ad Sigism. Aug. historiæ suæ præfixa.

56) l. c.

57) Cum priores chronica tantum scripserint, fabulis mixta, Dlugosz nempe primus habetur historicus, hujus vocis vi propria.

Dlugosso allata, nisi se impudentiæ crimine adstringere velit. Genere dicendi utitur turgido, sed nonnumquam inæquali; latina lingua est omnino pura, etsi sæpe verbis ab usu communi abhorrentibus mixta 58).

Dlugossus etiam plura alia scripta reliquit, inter quæ nominemus opus ejus de episcopatibus et episcopis Poloniæ. Primus est Polonorum, qui tale quid scripsit 59). In hoc opere eandem antiquam probitatem et severum veritatis studium præbet, quæ in historia Polonica laudantur. Quibus etiam sine dubio est factum, ut demum 1604 publice prodiret illud opus, tamen non integrum. Optimus vir THOMAS TRETERUS 60) tum ad id edendum adgressus est, sed descriptionem solum episcoporum Posnaniensium absolvit, quam ad suam ætatem continuavit. Reliqua major pars hujus operis Dlugossi forsan non minimo fuit auxilio iis, qui postea tentarunt descriptionem singulorum episcopatuum et episcoporum; sic e. g. Treterus ipse scripsit de episcopatu et episcopis ecclesiæ Varmiensis, STANISLAUS LUBIENSKI vitas episcoporum Plocensium, JACOBUS SCROBISSEWSKI vitas archi-episcoporum Haliciensium et Leopoliensium, SIMON STAROWOLSKI vitas antistitum Cracoviensium, etc. etc.

Starowolski affert 61) hoc carmen honori mortui Dlugossi scriptum:

Homerum Achilli fulminanti in hostico
　　Invidit olim rex potens
Suisque talem buccinatorem magis
　　Optabat in factis dari.
Qui Sarmatis Dlugossium invideat erit,
　　Ipsumque coelo subvehet.

5. MARTINUS CROMERUS (Kromer) natus est in oppidulo Palatinatus Cracoviensis. Pater fuit oppidanus. Litteris primum in schola privata, deinde in universitate Cracoviensi vacavit. Creatus est philosophiæ ac juris utriusque doctor, et post reditum ex itinere, quod per Germaniam Italiamque fecit, regis Secretarius constitutus est; postea canonicatu Cracoviensi donatus est. In multis negotiis ejus auxilio Sigismundus 1:mus, Sigismundus II Augustus, Henricus Valesius et Stephanus Batory usi sunt,

58) Bibl. Braun. p. 18. Catal. historiæ D:ni de SOLIGNAC præfixus.

59) J. D. JANOTZKI, Nachricht etc. p. 94.

60) Vid. de eo, si libet, J. D. JANOTZKI, p. 95, sequ.

61) Centum script. Polon. elogia et vitæ, p. 31.

sæpe legatus missus est ad alios populos. Denique post Hosii mortem enuntiatus est episcopus Varmiæ (Ermeland), qua dignitate postquam ornatus fuerat decem annos, inter ipsam coenam mortuus est 1589, 77:mum annum agens. Mirum, hunc virum, cui, obscuro genere nato, maximæ gloriæ fuit solis virtutibus suis dotibusque ingenii ad hunc senatoris locum evehi, ad quem legibus Polonorum aditus nemini nisi nobili patuit, et qui, sapiens ac expolitus, magis æstimare deberet nobilem esse virtute et doctrina, quam genere, mirum est, dico, hunc virum tantum pondus nobilitati addidisse, ut pertinaciter mentiretur se et paterno et materno genere a nobilibus oriundum esse, quam falsam opinionem ficta tabula genealogica ut corroboraret studuit 62).

Majorem autem gloriam existimationemque, quam quæ multitudine splendidorum majorum percipiatur sibi comparavit edens *de origine et rebus gestis Polonorum libros* XXX. "Jacuit" dicit Starowolski 63), "post J. Dlugossum, egregium rerum Polonicarum scriptorem, annos multos historia rerumque nostrarum memoria, quam Martinus Cromerus Antistes Varmiensis nuper revocavit atque illustravit." Cumque omnium scriptorum ante Cromerum, quæ historiam Poloniæ spectant, nullum esset, quod cum historia Dlugossi conferri posset, sed hæc historia nondum typis excusa paucis pateret, patriam tanto magis sibi devinxit opere suo, in quo et bona complexus est, quæ apud antecessores invenit, et addidit, quæ hi aut non plane, aut saltem minus quam ille tenebant. Huc pertinent stili elegantia, orationis amoenitas, judicium bonum: virtutes, quas sane magnas habet. Afferam alius scriptoris 64) verba de eo, cum ipse melius et verius eum non depingere possim: "Er muss wegen seiner Geschichte mit Recht für den Titus Livius seines Volks gehalten werden. Seine Schreibart ist rein und edel, kurz und abwechselnd, und sich beständig gleich. Er hat in seinem Vortrage nichts trockenes und gezwungenes, und keine Episoden, die nicht zu seiner Sache gehören. Er ist aber ordentlicher Weise zu ernsthaft und zu gelassen; es fehlet seinen Erzählungen am Feuer; er weiss die Tugend nicht in Bewegung zu setzen, ihr Leben und Anmuth zu geben, und sie, ohne sie zu predigen, geschickt beizubringen."

---

62) Vid. Bibl. Braun. p. 32 et Catalogum historiæ D:ni de SOLIGNAC præfixum.

63) Centum script. Polon. elogia et vitæ p. 24.

64) SOLIGNAC, in Catalogo suæ historiæ præfixo.

Dlugossus ei fuit præcipuus auctor, ut ii contendunt, quibus eos comparare licuerit 65), et ipse fatetur. Ex originalibus documentis archivi regni etiam non pauca hausit 66).

Ut nihil humani sine labe, ita etiam Cromerus in erroribus deprehenditur. In epistola dedicatoria nuper citata reprehendit scriptores, "quod multa partim ignoratione rerum externarum pervertere, aut omittere, partim malevolentia et invidentia, vel assentandi, suaque extollendi studio depravare solent;" ipse autem, cum non haberet Dlugossi audaciam, non ausus est suam historiam continuare per tempora proximorum regum, sed eam abrupit cum morte Alexandri, timens videlicet, ne alias potentibus viris adhuc viventibus displicere cogeretur. In eo autem Dlugosso est similis, quod non primis temporibus fabulosas narrationes prætermittit et odio suo in ordinem Teutonicum ducitur ad veritatem in quibusdam lædendam.

Initio suæ historiæ Cromerus prolixe disputat de origine et antiquitate Slavorum. Fransiscus Robortellus, ille rhetoricæ artis celeberrimus professor, hanc disputationem eximie laudat, dicens et Livium et Cæsarem et Thucydidem in ea a Cromero superatos esse 67). Hoc in medio relinquo. Sed tamen illa ostendit Cromerum fuisse doctissimum virum et in libris valde versatum.

De cetero Cromerus hanc historiam perducit, ut supra memoravi, ad finem a. 1506, quo mortuus est Alexander rex. Habuit autem postea orationem funebrem in funere Sigismundi 1:mi, quæ historiæ ejus calci apposita est, quam ita usque ad annum 1548 continuat. Hæc tamen continuatio est blandis verbis plena, et multa Cromerus in ea omisit. Variæ sunt hujus historiæ editiones; bibliotheca universitatis Lundensis duo exemplaria editionis tertiæ, Basileæ 1568 impressæ, possidet. Editio Coloniæ anno 1589 impressa, ab auctore adhuc vivente, sed eodem anno mortuo, percensita et variis accessionibus aucta, optima esse dicitur 68).

---

65) Braun p. 20 et 32. Solignac, in suo catalogo.

66) Epist. dedicat. ad Sigism. August. suæ historiæ præfixa: *ibi reperi non pauca publica litterarum monumenta, quæ magnam lucem historiæ nostræ attulerunt.*

67) Vid. epistolam ejusdem ad Cromerum gratulatoriam, quam invenies proxime á procemio ad Sigism. Aug. historiæ præfixam.

68) Braun p. 31.

Inter alia scripta, quæ plurima Cromerus reliquit 69), paucis referam *Poloniam* ejus, sive *de situ, populis, moribus, magistratibus et republica regni Polonici libros duos*, cujus scripti in bibliotheca, quæ huic universitati adest, invenitur editio secunda Coloniæ 1578 typis excusa. Primum ei in animo fuit ut hoc opusculo quasi clavem ad historiam suam jam editam facilius intelligendam relinqueret. Sed inter id conscribendum sæpe variis negotiis distractus, denique quidem id perfecit, seposuit autem ut "rude et impolitum, nec satis fortassis exquisite conscriptum." Tamen casus quidam eum perpulit, ut illud ederet. Henrico Valesio rege Polonorum creato, amicus quidam Cromero suasit et persuasit, ut regi, qui e Gallia appropinquaret, hoc opusculum offerret. "Fore enim ei gratissimum et venienti ad oras et gentes sibi incognitas accommodatissimum, ut jam inde a primo quasi limine eas salutans pernosceret, neque diutius apud eos populos, quibus præfuturus esset, in eorumque republica peregrinaretur." Cromerus igitur id in manus resumtum recognovit et castigavit. Postea regi "*munusculum*" delatum est. Interea quidam hoc exemplar mendosissime descripsit, quod Francofurti edidit. Tot et tantis vitiis hæc editio maculata erat ut neque ab alio "*intelligi neque a Cromero ipso agnosci posset;*" qui igitur existimabat se famæ suæ debere, ut ipse suum opusculum edendum curaret. Liber non potest non magni astimari quippe qui a viro tali conscriptus sit. Non credo regem Henricum, propter inertiam, eum perlegisse; numquam enim vel minimam rerum Polonicarum prodidit notitiam.

Epitome magnæ Cromeri historiæ, Gallica lingua conscripta, prodiit fine sedecimi sæculi, Parisiis, sub titulo: *Chroniques et Annales de Poloigne, par Blaise de Vigenere*, in 4:o. In Polonia tres viri compendiis Cromerianis innotuerunt, latina lingua scriptis:

a) Johannes Herburtus de Fulsztyn, erat castellanus regnique Polonici senator; ille Felix Herburtus, qui primus edidit totum Kadlubkonem et sex primos libros Dlugossi erat filius ejus 70). Scripsit *chronica sive historiæ Polonicæ compendiosam descriptionem* in XX libros divisam, cujus Bibliotheca Universitatis Lundensis habet editionem Dantisci 1609 impressam. Prima editio dicitur esse typis excusa Basileæ 1571 71).

---

69) Starowolski, centum scrip. Polon. elogia et vitæ, ea enumerat p. 25.

70) Starowolski, p. 43.

71) Bibl. Braun. pag. 119.

In dedicatione ad Sigismundum Augustum rationem reddit caussæ hujus operis edendi; dicit scilicet sibi propositum fuisse compendium componere Cromeri, quo maxime memoranda, quæ habet hic celeber historicus, commodius memoriæ mandari possent. Quod non infeliciter absolvit. Anno 1573 Parisiis typis excusum est hoc compendium Gallice redditum, sub titulo: *Histoire des Rois et Princes de Poloigne* etc. in 4:o 72). Anno 1574 Johannes Herburtus ipse erat in Gallia inter legatos Polonicos, de quibus supra Thuanum loquentem induxi.

b) Salomon Neugebauer, Borussus, scripsit *historiam rerum Polonicarum concinnatam et ad Sigismundum tertium Poloniæ Sueciæque regem usque deductam* libris decem, quam, Hanoviæ 1618 impressam, Bibliotheca hujus Universitatis possidet 73).

Braun 74) Neugebauerum vituperat, quia non, ut Herburtus ante eum et Pastorius postea, libere potiora e Cromero in compendium redegit, sed hunc auctorem iisdem verbis descripsit; quod etiam vere dicit. Cum autem in eum invehitur, quia ne verbo quidem fontes, e quibus hausit, significat, errat sane, et sine dubio eum latuit epistola, qua in calce sui libri "cordato lectori" salutem dicit. Ibi omnes scriptores enumerat, quos secutus est, et denique sugillatores orat, "quos non unius assis æstimat" ut meminerint ῥᾴδιον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. Hoc compendium Neugebaueri olim pluris justo æstimata est et nimis laudata 75). Non enim est bonum, quippe in eo nonnulla graviora omissa sint et multa leviora contra admissa. Aliter etiam fieri non potest, cum tam verbotenus scriptorem sequimur.

Ab eodem Neugebauero inveniuntur in Bibliotheca hujus Universitatis *icones et vitæ principum ac regum Poloniæ omnium*. Opusculum, Frfti 1620 impressum, Andreæ et Raphaeli Leszczinski est dedicatum. Icones sunt in ære sculptæ et pro suo tempore haud contemnendæ. Vitæ his sub-

---

72) Vid. præfationem ad historiam D:ni de Solignac et Jöcher, 2:er Th., p. 806.

73) In eadem Bibliotheca etiam invenitur editio, Francofurti 1611 impressa, non a Braun observata. Complectitur primos 5 tantum libros, etiam epistola dedicatoria ad Joannem et Andream Firleij carens.

74) in Bibl. sua, p. 122—125.

75) Vid. Johannis Gruteri, ad Univers. Heidelberg. prof., carmen, operi præfixum, quo id laudibus tollit.

scriptæ sumtæ sunt ex Herburti compendio, verbis iisdem plerumque retentis, utpote, Braunio monente 76), comparans inveni.

c) Joachimus Pastorius ab Hirtenberg, in Silesia natus, scripsit inter alia *Florum Polonicum*, seu *Polonicæ historiæ epitomen novam*. "Quia et exstat (sc. Cromerus) jam rarius;" dicit in prooemio Pastorius, "et diffusa orationis profluentia grandius est, quam ut ab omnibus parari vel legi possit; incessit et aliis ante me, et mihi post illos studium, contrahendi, quæ ille operosius diduxit, in compendium, simulque eadem brevitate, quæ post illum in Polonia acta essent, attexendi." Et omnium epitomarum operis Cromeri, quas hic retuli, hæc ut brevissima ita optima est. Rem paucis verbis dilucide exponit, oratione expedita et velociter currenti utitur etiamque lingua latina pura et eleganti. Libri prima editio est impressa 1641 Lugduni Bat., postrema, in qua historia est ad pacem Olivensem 1660 deducta, Gedani 1679. Bibliotheca nostræ Universitatis possidet primam tantum partem editionis Amstelodami 1664 typis excusæ; quæ pars finitur anno, quo Stephanus Batory diem obiit supremum.

Præterea Joachimus Pastorius scripsit: *Bellum Scythico-Cosacicum contra regnum Poloniæ, sub Joanne Casimiro profligatum*, Dantisci 1652, 4:o, qui libellus trium annorum bella continet a Majo 1648, usque ad finem Septembris 1651. Hunc solummodo tamquam prodromum præmisit *historiæ Poloniæ pleniori*, cujus partem 1:mam ipse edidit in 8:o Dantisci 1680, partem autem 2:dam hæredes ibidem 1685 typis exhibuerunt. Quod opus idem temporis spatium, quod prodromus, complectens, additis tantum septem mensium rebus gestis, laudatur 77), quippe quod multis litterarum, diplomatum et actorum publicorum apographis refertum sit. Operi adnexa est dissertatio philologica de originibus Sarmaticis, quam Pastorius narratur flore ætatis scripsisse et in qua ille dicitur omnes, qui ante eum hanc materiam tractaverint, "ipso illo venerabili Cromero" non excepto, superasse 78). — Joachimus Pastorius ab Hirtenberg 1681, 71:mum annum agens, mortuus est. Non historiam ejus pleniorem, nitidissimum autem exemplar Belli Scythico-Cosacici possidet Bibliotheca Universitatis Lundensis.

---

76) p. 126.

77) Bibl. Braun. p. 215. Catalogus D:ni de Solignac.

78) Bibl. Braun. p. 216.

6. Bartholomæus Paprocki, nobilis Polonus in Masovia natus, totus in historia patriæ studioque genealogico hæsit. Percurrens Silesiam, Moraviam et Bohemiam ibi examinavit nobilium propinquitatem cum familiis Polonicis; historicos patriæ pervolutavit, privilegia, acta et monumenta varia in archivis regni, monasteriorum et privatorum, ingenti labore et industria perlustravit. Ex his studiis primum orta sunt *collectanea* ejus, insigniores familias Poloniæ tractantia, quæ paterna lingua edidit Cracoviæ 1578. Hic liber fundamentum erat, in quo deinde exædificavit magnum opus heraldicum, quod Polonice, in folio, edidit Cracoviæ 1584, sub titulo: *Herby Rycerstwa Polskiego*, i. e. Insignia nobilitatis Polonicæ 79). Opus est sui generis in Polonia primum. Continet originem, gesta et merita familiarum nobilium Poloniæ et Lithuaniæ cum earum symbolis, præterea regni et M. D. Lithuaniæ et annexarum provinciarum publica vexillorum insignia, cum brevi ducum regumque historia 80). Paprocki 1614 e vita excessit sexagenario major. Operis ejus ductu

a) Simon Okolski, ordinis Prædicatorum Monachus, ita usus est in suo indice insignium gentilitiorum conscribendo, ut fere videatur id solum latine reddidisse 81). Quædam tamen passim ipse addidit et totum opus pompa rhetorica supervacanea et præter modum odiosa vestivit, quæ statim in ipso titulo se oculis obfert. Qui index, in ordinem alphabeticum redactus, inscribitur: *Orbis Polonus*, et impressa est Cracoviæ 1641—45, in folio, in officina typographica Fransisci Cæsarii. In tomos tres divisus est, quorum primum regi *Uladislao* IV Okolski dedicavit, secundum *Stanislao a Koniecpole Koniecpolski* 82), tertium et postremum *Georgio, comiti a Tęczyn Ossolinski* 83). Præter inanem verborum strepitum, quo Okolski utitur, etiam in eo non injuste reprehenditur, quod nullibi, etsi sæpius occasio datur, fatetur, quantum Paprocio de-

---

79) Bibl. Braun. p. 49—51.

80) Bibl. Braun. p. 49.

81) Bibl. Braun. p. 77; Catalogus D:ni de Solignac.

82) "Vir, quem universus populus instar semidei coluit;" idem, cui sub regibus Sigismundo 3 et Uladislao IV summa belli credita erat adversus Suecos, qui etiam alias sibi gloriam paravit in expeditionibus adversus Moscos, Turcas, Tartaros et rebelles Cosacos.

83) Dux in Ossolin, S. R. J. Princeps, supremus regni Poloniæ cancellarius: "vir magnus in republica et regibus suis carus."

beat, nec ejus gratam et honorificam mentionem faciat ob molestiam operis ab eo minutam. Denique eum arguunt, unam familiam nimis sustulisse, alteram non solum minus merito laudasse, sed silentio etiam præteriisse. Partim forsan eum hujus vitii, non sine jure arguunt, partim autem caussa non minima apud nobiles familias omissas quærenda est, quæ, cum invitatæ essent, tamen non auctori notitias suppeditarunt 84). Hanc opinionem ut probet, facile ducitur, qui perlegit verba auctoris ad lectorem cuique tomo præfixa. De cetero Okolski de Polonis et omnibus, qui res Polonicas amant, bene est meritus, quippe qui latine scribens etiam exteris familias Poloniæ nobiles notas fecerit, quæ alias fortasse, saltem ex majori parte, extra regnum numquam innotuissent. Liber est insignibus in ligno cælatis ornatus et locupletes indices usum ejus sublevant.

Orbis Polonus est rarissimus 85), omnium trium tomorum tamen est rarissimus primus; hujus enim tomi maxima pars exemplarium in cinerem versa est sub incendio in officina Cæsarii. Ejus tantum unum exemplar possedit Bibliotheca Zaluskiana, reliquorum autem duorum tomorum quatuor exemplaria 86). Bibliotheca Universitatis Upsaliensis, quæ in Suecia plurima tenet opera Polonica, primum solummodo tomum possidet 87). Bibliotheca Universitatis Lundensis, inter pauciora, quæ in illa exstant, integrum Orbem Polonum optimæ conditionis possidet, quem nunc inter manus habui. — Simon Okolski a 1654 mortuus est.

7. Mathias Striykowski, canonicus Samogitiæ, gente Polonus, ex optimis fontibus manuscriptis composuit lingua Polonica *chronicon Lithuanicum, Polonicum, Russicum, Prussicum, Livonicum, Samogiticum et Moscoviticum*, quod Regiomonti anno 1582 in folio edidit.

---

84) Hanc sententiam etiam sequitur Janotzki, Nachricht etc. p. 70. Illa insuper non fide digna judicat, quæ alii narrarunt, *Orbem Polonum* scilicet a tribunali regni Lublinensi, "propter nugas ejusdem cum veritate non concordantes," in officinis librorum vendi prohibitum fuisse, et parum abfuisse, quin publice cremaretur, "propter querelam, quod alios multum depresserit." Mendacium etiam putat, nobilem Polonum, cum suæ familiæ vetustatem ex Orbi Polono non deducere posset, auctorem virgis lacerasse.

85) Janotzki, Nachricht etc. p. 68. Ebert, Allgem. Bibliogr. Lex. 2:er Bd, p. 229.

86) Janotzki, p. 72.

87) Catal. libr. Bibl. Acad. Ups. p. 642.

Opus procedit ad eundem annum, maximi pretii est et, cum numquam recusum sit, perrarum 88). Stryikovio dicitur

a) Alexander Guagnini clam subduxisse opus, quod, postquam latine reddidit quibusdam additis, pro suo in folio Spiræ 1581 edendum curavit, ornatum imaginibus ducum regumque Poloniæ ac Lithuaniæ in ligno satis deformiter incisis, sub titulo: *Sarmatiæ Europeæ descriptio.* Guagnini patria Veronensis, arma Polonica secutus est, se fortem militem præbens præfectus Vitepsciæ factus est et denique jure nobilitatis Polonicæ donatus, mortuus est 1614 Cracoviæ, fere annum 80:mum attingens. Stryikovius ipse contendit in chronico suo Guagninum ei descriptionem suam surripuisse 89). Si non modum probare possumus, quo Guagninus in hujus libri possessionem venit, tamen nobis gratulemur nos tale opus habere; continet enim loca maxime memoranda et documenta magni momenti, quæ alioquin nos latuissent, cum chronicon Stryikovii et non nisi Polonice scriptum exstet et rarissimum sit, ad quod tali modo imperitis linguæ nullus aditus pateat et peritis etiam difficilis.

Bibliotheca nostræ Universitatis et editionem Spirensem possidet et aliam Francofurti 1584 impressam, in 8:o, in qua titulus est mutatus, imagines ac index absunt et materiæ ordo ei est dissimilis, qui in altera editione servatur.

b) Albertus Wiiuk Koialowicz, Soc. Jes. S. Th. D. optimam *historiam Lithuaniæ* latine eleganter conscripsit. Fontem, e quo hausit, in primo initio ingenue et modeste fatetur: "Neque enim," dicit, "historiam novo a me labore concinnatam, sed ex annalibus Matthiæ Stryikovii excerptam, ad ordinem legesque litterarias, quantum tenue ingenium, et longe minor eruditio, inter alia severiora studia, permittet, redigere adgredior." Prima pars hujus historiæ Lithuanicæ est impressa Dantisci 1650, altera Antverpiæ 1669 in 4; Bibliotheca hujus Universitatis primam tantum possidet, quæ res Lithuanicas narrat usque ad annum 1386, quo Lithuania per Jagellonem Poloniæ juncta et ad religionem Christianam conversa est. Pars tertia numquam edita est, etsi Koialowicz eam in præfatione secundæ partis dicitur promisisse 90). De cetero hæc historia rara est 91).

---

88) Bibl. Braun. p. 36.

89) Hartknoch, in catalogo *suæ republicæ* præfixo. Bibl. Braun. p. 38.

90) Bibl. Braun. p. 172.

91) Janotzki, p. 27.

Aliud etiam opusculum, Lithuaniam spectans, edidit Koialowicz, quod inscribitur: *Fasti Radiviliani, gesta illustrissimæ domus ducum Radzivil, compendio continentes.* Vilnæ, 1653, 4. Dicitur esse maximi momenti, sed rarissimum omnium librorum historicorum Poloniæ 92). — Koialowicz mortuus est 1677.

8. Stanislaus Orichovius (Orzechowski) scripsit *annales*, qui initia imperii Sigismundi Augusti regis Poloniæ, ab anno 1548 usque ad finem anni 1551, tractant; adjuncta est *vita Petri Kmitæ*, quam tamen sine dubio Orichovius non scripsit 93). Horum annalium prima editio imprimebatur Dobromili 1611; aliam Dantisci 1643 impressam possidet nostra Bibliotheca, in qua plurima sunt omissa ex iis, quæ in editione Dobromilensi reperiuntur 94).

9. Reinholdus Heidenstein conscripsit *res in Polonia gestas, a morte Sigismundi Augusti* 1572 *usque ad annum* 1603; quod opus filius, Johannes Heidenstein, castellanus Gedanensis, libris XII demum 1672 Francofurti in folio edendum curavit. Huic inserti sunt ejusdem Reinholdi Heidenstein *de bello Moscovitico, quod Stephanus rex Poloniæ gessit*, commentariorum libri sex, qui antea seorsim impressi erant et quorum editionem Basileæ 1588 in 4:o, typis excusam possidet Bibliotheca Universitatis Lundensis.

10. Johannes Demetrius Sulicovius (Sulikowski), Archiepiscopus Leopoliensis, vir rerum civilium sagax, scripsit commentarium brevem *rerum in Polonia ab excessu regis Sigismundi Augusti* 1572 *usque ad annum* 1590 *suæ ætate gestarum.* Quod opus 1647, in 4:o, Amstelodami impressum est. Sulicovius ipse jam 1603 mortuus est.

11. Jacobus Sobieski, castellanus Cracoviensis, pater regis Johannis III, composuit commentariorum *de bello Chotzimensi* libros tres, qui Gedani 1646 in 4:o impressi sunt. Eodem anno auctor mortuus est.

12. Paulus Piasecki, episcopus Præmisliensis (Przemysl), mortuus est 1649. Scripsit *chronicon earum, quæ eximie gesta sunt in Europa, præsertim in Polonia, ab anno* 1575 *ad annum* 1644, quod Cracoviæ 1645 impressum est.

---

92) Janotzki, l. c.

93) Bibl. Braun. p. 206.

94) Hartknoch, in catalogo *suæ republicæ* præfixo.

13. Everhardus Wassenberg, ille Flori Germanici auctor, *gesta Vladislai IV principis, deinde etiam regis Poloniæ*, partibus duobus panegyrice non historice exposuit. Opus est Gedani 1643, in 4:o, impressum et ejus duo exemplaria possidet Bibliotheca Universitatis.

14. Stanislaus Kobierzycki, castellanus Gedanensis, postea Palatinus Pomeraniæ, eleganter *historiam Vladislai Poloniæ Principis* composuit, quæ in 4:o 1655 Gedani impressa est. Nitidissimum exemplar possidet Bibliotheca Universitatis.

15. Vespasianus Kochowski scripsit *annales Poloniæ, ab obitu Vladislai IV regis anno 1648 usque ad abdicationem Joannis Casimiri anno 1668*, quos, cum 21 totos annos complectantur, in tres climacteres divisit, septennio singulis assignato. Opus in folio tribus tomis Cracoviæ 1683, 1688 et 1698 impressum est.

16. Andreas Maximilianus Fredro, Castellanus Leopoliensis, postea Palatinus Podoliæ, *historia Henrici de Valois* in 12:o Dantisci 1660 edidit.

Hi novem scriptores, qui tantum breve quoddam temporis spatium illustrarunt, breviter nominati sint 95). Cum testes oculati essent rerum gestarum, quas descripserint, et earum etiam ob dignitatem, qua in republica ornati essent, fere omnes partem haberent, opera eorum supradicta magni momenti sint necesse est. Quorum alterum, quod alteri deest, explet; de cetero fere omnia bono judicio stiloque, ingenue et ab omni prava opinione libere scripta sunt. Insuper meminerimus

17. Christophorum Hartknoch, Professorem Gymnasii Thoruniensis, postea Regiomonti. Scripsit ille *Rempublicam Polonicam*, duobus libris illustratam; quorum prior, historiæ Polonicæ memorabiliora etc., posterior autem jus publicum reipublicæ Polonicæ, Lithuanicæ etc. comprehendit. Opus sane egregium; in cujus priori parte Hartknoch se ostendit criticum subtilem, sine studio partium sententias contrarias scriptorum Polonicorum Germanicorumque comparans. In parte posteriori valde versatum in statutis, constitutionibus, juribus et privilegiis se exhibet. Quam materiam difficilem expedite tractat. Editionem hujus reipublicæ Polonicæ Jenæ 1678, in 8:o, impressam possidet Bibliotheca Universitatis. Hartknoch mortuus est 1687.

Hos omnes historicos e multitudine exceptos volui; in iis ordine enumerandis perveni ad initium sæculi duodevigesimi (Kochowski et Fre-

---

95) Plura de iis relata legas apud Braun.

dro adhuc 1699 vixerunt), quo Polonia principatum inter nationes Slavicas Russiæ cessit. Primis hujus sæculi annis bellum cum Suecia vires Poloniæ plane exhausit, quas supra quinquaginta annorum perpetua bella, civilia et externa, ante imminuerint necesse est. In languorem incidit, quo hoc regnum, quod semper vicinos observaverat, nunc impune suos fines lacessi passum est, contentum, si modo bellum foris evitare posset. Domi nobiles, olim tanta cultura insignes, omne studium litterarum neglexerunt et tempus in jurgiis ac pugnis inter se perdiderunt; duo Augusti, qui nec regnum nec linguam noscebant, nulla singulari cura ad culturam suscitandam incubuerunt; Jesuitæ præterea suæ intolerantiæ habenas laxas dederunt. Quibus omnibus factum est, ut litteræ funditus interirent; incuriam, qua tractatæ sunt, perspectam habebis, audiens, quibus fatis monumenta historicæ scientiæ exponerentur, quæ semper in Polonia præ aliis floruerat. JANOTZKI 96) queritur: Die Besitzer derselben gehen allzu nachlässig und allzu geringschätzig damit um. Sie weisen ihnen in ihren Wohnungen die unreinesten und von Spinnen, Mäusen, Ratten oder andern Ungeziefer angefülleten Winkel an. Sie brauchen sie in Ermangelung der Maculatur zu Pfefferdeuten. Sie wickeln Kuchen, Braten, Heringe, Schinken, Käse und andere magenstärkende Sachen darinnen ein. Und in der Winterszeit müssen ihnen die auserlesensten Blätter zur Verbesserung schadhafter Fenster, und Verstopfung aller der Wärme zuwider scheinenden Oefnungen dienen. Raro inveniebatur quem e rudi turba excipiamus; inter quos quædam membra familiæ Zaluskianæ nominemus: ANDREAS CRYSOSTOMUS ZALUSKI, episcopus Varmiæ, mortuus est 1711. Scripsit *epistolas historico-familiares* (Brunsbergæ, 1709—11, in folio 97), quæ non nullius pretii sunt historiæ Polonicæ. ANDREAS STANISLAUS ZALUSKI, episcopus Cracoviensis et dux Severiæ, Academiam Cracoviensem suæ Bibliothecæ, quæ viginti millia voluminum complectebatur, heredem scripsit. Mortuus est 1758. Frater ejus JOSEPH ANDREAS ZALUSKI (n. 1701, m. 1774), episcopus Kioviæ, edidit *leges, statuta, consuetudines et privilegia regni Poloniæ* (Varsaviæ, 1732, in folio) et *Specimen historicum Polonicæ criticæ* (Varsaviæ, 1735, in 4:o). Cœpit his temporibus tristibus illam magnam ac celeberrimam Bibliothecam colligere et multa scripta patriæ scriptorum e communi excidio eripuit.

96) Nachricht etc. p. 3.

97) Bibliotheca Universitatis unum exemplar harum, tomis quatuor, possidet.

II. 98).

Brevis adumbratio status scientiæ historicæ in Polonia a medio sæculi duodevigesimi usque ad nostram ætatem.

Tandem venit tempus, quo Poloni infelicem patriæ statum intelligerent. Multi peregre redeuntes notiones emendatas secum apportarunt de constitutione et modo imperii, de litteris et cultura. Respublica quidem, etsi cives omni ope et opera elaborarent, ut eam incolumem præstarent, fato occubuit; sed studium litterarum et culturæ, semel ad vitam revocatum, postea non elanguit.

Ut temporibus antiquioribus monachi Benedictini de adhuc impolitis Polonis excolendis bene promeriti sunt, ita nunc ordo Piaristarum sibi Polonos devinxit, institutionem publicam a Jesuitis corruptam reformans. Imprimis Stanislaus Konarski, membrum hujus ordinis, impigrum se præbuit; idem *leges Poloniæ*, in tomis octavis et folio, collegit et typis sui ordinis sumtu publicavit, quo opere suos cives ad eas emendandas impulit. Mathias Dogiel, alius Piarista, congessit "codicem diplomaticum regni Poloniæ magnique ducatus Lithuaniæ, in quo pacta, fœdera, tractatus pacis, mutuæ amicitiæ, subsidiorum, induciarum, commerciorum, nec non conventiones, pactiones, concordata, transactiones, declarationes, statuta, ordinationes, bullæ, decreta — exhibentur." Quod opus grave et prolixum cum in manuscripto fere perfecisset et tomus primus jam imprimeretur totam collectionem ad cinerem redegit incendium quod in domo auctoris eruperat. Dogiel iterum opus inchoavit idque iterum perfecit. Ei propositum fuit, ut in tomos octavos, in folio, divisum imprimeretur; sed nescio, an plures, quam 1:mus, 4:tus et 5:tus, editi sint 99).

Joseph Andreas Zaluski 1757 Bibliothecam suam publice aperuit et paullo post ejus jus domini et auctoritatem nationi tradidit. Cum omnem operam et omnes reditus in ea colligenda adhibuisset, illam eo perduxit,

---

98) In hac parte dissertationis conscribenda subsidio mihi fuerunt: *Polen in geographischer, geschichtlicher und culturhistorischer Hinsicht. Nach Malte-Brün und Chodzko* von Karl Andree; *Allgemeine deutsche Real-Encyclopädie oder Conversations-Lexicon* et alia quædam scripta, quæ suis locis citabo.

99) Forsetzung zu Jöchers allgemeinen Gelehrten-Lexico, von Adelung, 2:er Band, p. 727.

ut numero voluminum non solum omnes Bibliothecas privatorum in Europa longe superaret, sed æquari etiam et conferri posset cum maximis publicis 100). Exemplum hujus viri postea secuti sunt plures optimates.

Stanislao Augusto Poniatowski regnum accipiente, Poloni denique regem obtinuerunt, qui litteras amaret et coleret; quæ etiam sub regimine ejus florescentes, postea magis magisque accreverunt. Cui rei non minimo adjumento fuit, quod ordo Jesuitarum, qui tamdiu reipublicæ pestis fuerat, solutus est; quod anno 1773 evenit. Plura hujus ordinis membra operam patriæ obferebant, inter quæ solummodo nominem ADAMUM STANISLAUM NARUSZEWICZ, qui, ut supra memoravi, tam egregie Polonice Tacitum reddebat. Imitans stilum hujus præclari auctoris scripsit Polonica lingua *historiam Poloniæ*, quod opus laudatur optimum sui generis in litteratura Polonica. Tantum tomi 1—7 editi sunt, continentes historiam Poloniæ antiquissimam et tempus, per quod regnavit Piastarum familia; 1:mus tomus antiquissimam et incertam historiam complectens, demum 1824 publicatus est. Naruszevicz mortuus est 1796, mœrore infelicis fati patriæ afflictus; manuscriptos apparatus suæ historiæ, 360 volumina comprehendentes, reliquit. Hic silentio non prætereaum, nunc externos etiam sæpius ad res Polonicas tractandas aggredi. Polonia nempe casu horrendo totam Europam in se vertit. Præsertim Galli opera haud contemnenda præstiterunt 101). Jam Eqves de SOLIGNAC, secretarius regis Stanislai Leszcynski, *historiam Poloniæ* Gallica lingua scripserat, quæ quidem, ubi de negotiis hujus regni cum Gallia agitur, bona est. MIZLER a KOLOF, Germanus, in numerum nobilium Polonorum postea cooptatus, edidit "Historiarum Poloniæ et magni Duc. Lithuaniæ scriptorum quotquot ab initio reipubl. Poloniæ ad nostra usque tempora exstant omnium collectionem magnam, ord. chronol. digestam" (Varsaviæ et Lipsiæ 1761—69, fol.), "quæ fere nusquam reperitur, quia vidua ejus omnes,

---

100) Catharina 2 hanc Bibliothecam Petropolin transportandam curavit. Nuperrime etiam Bibliotheca Universitatis Varsaviensis dicitur, arcis inclusa, in Russiam asportata fuisse. Quantam operam Russi longæ et difficili vecturæ horum multorum librorum impenderunt! Cui labori parcere potuissent, igni omnes apparatus librorum ad exemplar illius Muhammedani tradentes. De cetero imperatores Russici certo consilio utuntur, quum, Polonis libertatem adimentes, iis etiam, quod eam alit, eripiunt. Caveant, ne suis fidelibus Russis talia instituta publice aperiant,

101) Geschichte Polens unter Stanislaus August, von JOACHIM LELEWEL, p. 62.

qui supererant, collectionis tomos ad explendam sitim anus vini avida distraxit non eruditis, sed œnopolis et ad piper et sal obvolvendum institoribus" 102). De turbis, quibus Polonia quassabatur regnante Stanislao Augusto, egregium scripsit librum Cl. C. de Rulhiere, qui inscribitur: *Histoire de l'Anarchie de Pologne et du demembrement de cette republique* (Suivie des anecdotes sur la révolution de Russie, en 1762, par le même auteur. Tome 1—4, Paris 1807, 8). Auctor tamen odio suo erga Catharinam et Stanislaum regem plus justo tribuisse dicitur. Hæc historia non est ad finem perducta, quippe quæ vix medium decennii 1770—80 attingat. Malte-Brun scripsit "*Tableau de la Pologne ancienne et moderne*" (Paris, 1807), quod opus Chodzko iterum in multis emendatum edidit (Paris 1830).

Anno 1801 Varsaviæ instituta est *regia societas philomathica*, cujus merita de litteris sunt magna. Novæ editiones antiquorum scriptorum Polonicorum editæ sunt. Historiæ litterariæ, adhuc fere neglectæ, nunc multi dare operam cœperunt. Quosdam inter plurimos nominemus. Felix Bentkowski egregie scripsit: *Historiam Litterariam Poloniæ* (Varsaviæ et Vilnæ 1814, tomi 2, 8). Comes Ossolinski, qui etiam de Polonis in Gallicia, solo ejus natali, habitantibus bene promeritus est, iis Bibliothecam suam donans, quæ Leopoli est ordine collocata et publico usui aperta. Georgius Samuel Bandtke, Professor Universitatis Cracovienses et Bibliothecarius; Jacobus Soltykowicz; Eusebius Slowacki, Professor Academiæ Vilnensis; Joachimus Lelewel, olim Historiarum Professor ad Universitatem Vilnensem; Fransiscus Siarczynski, Bibliothecarius ad Bibliothecam Leopoliensem, quam donavit Ossolinski; Lucas Golembiowski; hi omnes et plures patria lingua historiam litterariam et bibliographiam paternam bene tractarunt.

In multis, quæ in historia politica scripta sunt, tamen multum restat. Julianus Ursinus Niemcewicz, insignis etiam poëta et bonus civis, edidit *collectionem memoriarum antiquæ Poloniæ* (Varsaviæ, 1822); Georgius Samuel Bandtke scripsit *res gestas Polonorum* (Vratislaviæ, 1826); Adami Stanislai Naruszewicz historia, supra memorata, annum obtinet 1386. Adhuc deest historia Vladislai II et filii ejus Vladislai III, qui ad Varnam occisus est. Historiam Casimiri Jagellonidis, Johannis Alberti et Alexandri delineavit episcopus Albertrandy, primus præses regiæ societatis philomathicæ, edidit Onacewicz. Notitias aliquas regni duorum Sigismundorum reliquit Lelewel. Quatuor auctores de trimestri regno Henrici de Valois scripserunt.

---

102) Miscellanea Cracov. nova, Fasc. I. p. 71.

Albertrandy conscripsit res gestas Stephani Batory, quas etiam Onacewicz edidit. Niemcewicz et Siarczynski historiam Sigismundi III scripserunt. Tempus, quo Vladislaus IV regnavit, Kwiatkowski illustravit. Historias Johannis Casimiri, Michaëlis et duorum Augustorum e Saxonia nemo adhuc attigit. Niezitabitowski historiam reliquit Lithuaniæ; Onacewicz etiam hujus magni Ducatus historiam scripsit. Omnia hæc opera sunt Polonice scripta; quædam præclare, alia omnium exspectationi non satisfaciunt; censura ferrea etiam impedivit, quo minus quædam opera prima forma imprimerentur.

Lelewel Germanica lingua edendam curavit historiam Poloniæ, regnante Stanislao Augusto. Nec nullius est pretii *historia Johannis Sobieski* Gallica lingua a Salvandy scripta. Mich. Oginski scripsit *Mémoires sur la Pologne et les Polonais depuis 1788—1815* (Paris, 1826, T. 1—4), quod opus Jacobus Leonhardus Chodzko edidit una cum *Observations sur la Pologne et les Polonais pour servir d'introduction aux Mémoires* etc. (Paris 1827). Idem Chodzko, vir ætate et ingenio florens suæque patriæ amans, paullo post publicavit *Histoire des légions polonaises en Italie, sous le commandement du général Dombrowski* (Paris 1829, T. 1—2). Duæ collectiones historicæ etiam continent historiam Poloniæ laudandam. In una: *Résumés de l'histoire de tous les peuples* invenitur *résumé de l'histoire de Pologne*, par Léon Thiessé, quam historiam, judices optimam sui generis earum, quæ apud externos editæ sint. In altera: *Allgemeine historische Taschenbibliothek für jedermann*, historiam Poloniæ germanice scripsit Alexander Bronikowski 103). Hæc historia etiam est laude digna; Bronikowski tamen dicitur ob inscitiam indagationum novissimi temporis in nulla re non errâsse; tempus ab ultima regni partitione etiam satis breviter delineat. Hebraice scripsit historiam Poloniæ mercator quidam Judaicus Rosenfeld. — Litteris reflorescentibus magno fuit adjumento *Universitas* a. 1818 Varsaviæ instituta.

Heic finem dissertationi imponimus. Poloni denuo fortunam belli periclitati sunt pro libertate recuperanda 104). Quod bellum cum haud prospere cederet, multi optimi viri patriam deserere coacti sunt. Nemo tamen de ea restituenda desperat. Apud amicos externos commorantes, tempus ultionis exspectant; volunt interea Poloniam etiam foris a se esse repræsentatam, et in aliis et in iis, quæ litteras spectant; quam ob caussam *societatem litterariam* in capite regni Gallici instituerunt. Nihil de hodierno rerum statu in Polonia ipsa certe perspectum habemus, quam quod vehemens animi motus dominatur, qui coëgit Russicum imperium ibi centum millia militum collocare.

---

103) Hæc historia anno proxime præterlapso in Suecanam linguam translata est.

104) Hoc bellum materiam dedit infinitæ multitudinis opusculorum, quibus præsertim Germania inundata est. Omnium nullum est, quod *Geschichte des Aufstandes des Polnischen Volkes in den Jahren 1830 und 1831* a R. O. Spazier ex iis, quæ testes oculati narrarunt, conscriptum, superet. Nec taceam *die Memoiren über Polen unter russischer Herrschaft, nach 2:jährigem Aufenthalt in Warschau*, von Harro Harring; Deutschland 1831. Semper erit memorandus hic liber, qui, in Austria et Borussia multisque partibus Germaniæ a Russia longe remotis suppressus, Suethice redditus est (et quidem Holmiæ, in ore et oculis speculatorum Russiæ) et per omnem Sueciam vulgatus.